



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Pro Anno Bissextili. Meditatio CCCLXVI. De extremo Iudicio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

MED. PRO ANNO BISS. 337

spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi. *Matth. 12. v. 45.*

IV. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Matth. 13. v. 45.*

MEDITATIO CCCLXVI.

Pro Anno Bissextili.

De extremo judicio.

Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. *Matthæi 25. v. 31. 32. 33.*

II. Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: &c. *Matth. 25. v. 34. v. 35.* Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth. 25. vers. 40.*

III. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis

P

ejus.

ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: &c. *Matth. 25. v. 41. & 42.* Amen dico vobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam. *Matth. 25. v. 45. 46.*

M O D I M E D I T A N D I
accommodati singulis Partibus Monotessari.

PRO PARTE I. ET II.

Modus universalis meditandi mysteria Vitæ D. N. IESU Christi.

Singulis materiæ dispositæ Punctis adhibenda sunt Puncta tria Formulæ, sive modi meditandi. Primum Formulæ punctum est, Consideratio singularum Personarum, de quibus mentio fit in proposito puncto materiæ. Exempli gratiâ sit istud materiæ punctum, *Luc. 2. v. 34. Benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, &c.* Hic considerandæ sunt personæ tres: Simeon senex, Iesus puerulus, & Virgo mater ipsius Maria. Ex harum personarum consideratione documenta sunt elicienda, quibus nos docemur aliquid seu facere, seu vitare.

Secundum Formulæ Punctum est, in eodem materiæ puncto considerare ac perpendere